

tudinem animi, deinde corporis. Quidni tu ista vota saepe facias? — Tunc scito, esse te omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim, quanta dementia est hominum? turpissima vota diis insusurrant: si quis admovevit aurem, conticescent; et quod scire homines nolunt, deo narrant. — Sic vive cum hominibus, tanquam deus videat: sic loquere cum deo, tanquam homines audiant.

Paedalii, gens Indica, nihil aliud petebant a diis, quam justitiam.

Dicebat Apollonius, has tantum preces esse profundendas ab homine, accedente ad deorum templo: *O dii, quae mihi conveniunt, praestate!*

2. Socrates, humanae sapientiae quasi quoddam terrestre oraculum, *nihil ultra petendum a diis immortalibus arbitrabatur, quam ut bona tribuerent: quia ii demum scirent, quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret.* Etenim densissimis tenebris involuta mortalium mens, in quam late patentes errores coecas precationes spargis! Divitias appetis, quae multis exitio fuerunt; honores concupiscis, qui complures pessundederunt; regna tecum ipsa volvis, quorum exitus saepenumero miserabiles cernuntur: splendidis conjugiis injicis manus; at haec, ut aliquando illustrant, ita non nunquam funditus domos evertunt. Desine igitur stulta futuris malorum tuorum caussis, quasi felicissimis rebus, inhiare, teque totam caelestium arbitrio permitte: quia, qui tribuere bona ex facili solent, etiam eligere aptissime possunt.

Permittes ipsis expendere Numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris.

Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt di:
Carior est illis homo, quam sibi. —